Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 16. Novembris.

M. LUDOVICO DE VAUX, Doctore Medico, Præſide.

An alterum circuitûs ſanguinis organum, Pulmo?

IN humani corporis fabricâ ars divina, ſicut & numinis exiſtentia, immenſitaſque velùt oculis obverſantur. Iſthæc enim undè? niſi ab eo cui vis παντὰ ποιητικὴ, tot inſtrumentorum aptata corpori ſupellex, & apparatus organorum, quæ eum ſervant inter ſe ſe figuræ, ſitûs ac cohæſionis modum, ut ſemel mota vi prioris impetûs impreſſi, juxtà intentum ipſius artificis ſcopum moveri non deſinant, quandiù non obſtant præfixæ motuum leges, ſtatque conſtans tam præſtantis operis œconomia. Non ineptè olim artificioſa hæc hominis compages hujus orbis univerſi velut exemplar ac epitome, μικρόκοσμος dicta, ex ſolidis fluidiſque reſultans partibus; quatenùs his immenſam terrarum molem, illis rapidiſſimos undarum curſus adumbret: ac ſicut ex æquore prodeunt limphæ, quæ per cæcos terræ meatus ad ſingulas appellunt regiones, populis ut aquæ dividantur; hinc ſcaturigines, fontium qui primùm in rivulos coëunt, mox confluunt in flumina, quæ tandèm mari perpetua ſolvunt vectigalia: Non impari omninò ratione in humano corpore cor ſanguinis promptuarium arteriarum ductu, ſanguinem in univerſas corporis partes diffundit; hinc è venis capillaribus in ſurculos migrat, qui poſthâc in ramos coëunt, hi demùm in truncum confluunt, qui in humanum æquor præceps agitur. At enim quid ſanguis? Variæ figuræ particularum congeries mercurii, ſalis, & ſulphuris, ſi chimicos audis; globulorum aliorumve figuræ quadrilateræ corpuſculorum, ſi phiſicos; bilis eſt, pituita & melancholia, ſi Medicos. Ii quidem rectiùs ſentiunt: ludunt quippè alii in verbis. Ex quatuor in unam coëuntibus molem humoribus, ſanguis, qui itque reditque viam aſſiduè, ex quo unicuique parti, ipſique vitali flammæ continuò deflagranti alimentum ſuppeditatur, quod jacturam reparet perpetuò effluentis.

SANGUINEM moveri in orbem jam pridèm notum; at circuitûs hujus cauſas, quis aperiet? Ut potè cujus (inſtar nodi gordiani) nec principium finiſve appareant, non ſecùs ac ſi quis primum circuli punctum deſignare vellet. Quantumvîs abſtruſa res videatur, cor circuitûs principium, princepſque organum, nil vetat aſſerere. Id quippè muneris inteſtino cruoris particularum motui, tum ejuſdem molis jugi ex loco in locum fluxui acceptum eſt referendum; utrumque cor efficit. A corde enim inteſtina particularum ſanguinis agitatio, ut & totius molis impulſio. Varia ſanguinis principia inter ſe ſe colluctari ac fermenteſcere apta perenni cordis motu liberiores ad ſe movendum nixus exerunt, dùm ea, quibus plus ſatis intricantur, mixtionis ſolvuntur repagula, attrituque inertes, & minùs ſubactæ particulæ evehuntur in ejus ſinubus, quæ ſic evectæ, & ſui juris factæ quoquò verſùm tendunt, aliæ in alias mirâ motuum pernicitate impingunt, totamque exagitant ſanguinis molem. Ut ut partium inſenſilium fermentationem, ſic & molis impulſionem cor promovet: Machinæ enim Hydraulicæ inſtar, ſanguinem per aptatos utrinque ad ejus oſtia vaſorum tubulos validâ ac forti impulſione extremas uſque ad corporis partes propellit, qui cum præ ſubſequente ſemper à tergo, ſuâ relegere veſtigia nequeat, per alias, quas ſubindè ſibi facit vias remigrare ac refluere ad cor neceſſum habet, novam ibi perfectionem adepturus.

PULMO quod cœptum à corde, hoc ipſum opus perficit; circuitum ſanguineæ molis adjuvat, quatenùs vim addit ſanguini, motùmque fermentationis, & impulſionis impetum adauget. Pulmonum ſubſtantia non carnoſa, ſed ex tenuiſſimis compacta membranis, quæ extenſæ & ſinuatæ infinitas propè veſiculas orbiculares efformant, ad quas pari ramificatione conſociata appellunt vaſa, arteria, ductus trachealis & vena. Sanguis è dextro cordis ſinu per arteriam vehitur in pulmones, quorum ſubſtantiam trajicit, ibique reciproco ſiſtoles, & diaſtoles motu veſiculis ſic tanquam molendinis ac piſtillis diverberatur; veſiculæ enim, dum præterlabente in vaſis ſanguine premuntur, proprio fibrarum, quibus texuntur robore, in ſanguinem reſiliunt, contundunt particulas ejus craſſiores & minùs ſubactas, chilum cruori aſſimilant, utrumque exactè & per minima miſcent; totus & exinde repueraſcit liquor, ex viſcido fluxilis, ex fœculento defœcatus, ex inerti vegetus evadit, nec-non ultimum elaborationis gradum videtur conſecutus. Quantam vitalis ſucci moleculis pulmones impertiantùr mobilitatem, ſatis indicat vitiata eorum textura. Sicubi illa, vel præ ſucitate tabeſcit, aut ulcere depaſcente ſenſìm abſumitur, tum vires corporis exolutæ extremas emorientis igniculi ſcintillas emittunt, ac ſub craſſiorum mole particularum obruta penè extinguitur flamma vitalis.

QUAM ſanguini vim tribuunt pulmones, hæc potiſſimùm ab aëre profecta, cujus neceſſitas tanta, ut uno vel momento hocce impunè vivens carère nequeat. Aër terræ globo circumfuſus ex minutiſſimis tertii elementi particulis ſecundo velut innatantibus, & ex omnis generis corporum effluviis conflata moles, ſale abundans nitroſo bronchiorum permeat ductus, & inſenſiles ſubit veſicularum meandros; cruori nitrum (ut pote aëris pars ſubtilior) confunditur, quo dè novo accenditur, fitque vegetior. Non ſecùs ac ſi ſulphuri nitrum adjiciatur in nitidiorem flammam erumpit; quod apprimè videas in ſanguine recens in matulâ effuſo: Si namque partem illam ſanguinis, quæ rubicunda apparet, detrahas; ipſi ſubjecta antè fœculantior, mox rubicundior conſpicitur. Quæ verò ſolidiores, ac graviores aëreæ partes ſuo pondere & eâ quâ pollent elaſticâ virtute vaſa arctiùs premendo, ſanguinem pellunt, quibus tot ab aëre, veſiculis, bronchiis, impulſionum vicibus tota ſanguinis moles ex pulmone, in ventriculum cordis ſiniſtrum concitatiori curſu pellitur.

HINC liquet quàm longè à veritatis tramite deflectant ii, qui pulmones ſic à naturâ inſtitutos cenſent, ut reſpectu cordis flabelli munere defungantur, ad contemperandum ipſius ardorem: Quin imò difflatione magis ac magis incaleſceret ſicuti carbones perflati ardentiùs urunt; nec tanta eſſet in brevi morituris ſpirandi neceſſitas, quæ duplò major exiſtit, dum mors ſtat in procinctu: Quemadmodùm flamma mox deſitura extremo veluti conatu in majorem aſſurgit molem. Quem ergò præſtant in reſpiratione pulmones uſum? Inteſtinam in ſanguine fermentationem, ejuſdem ſuo in circuitu accelerationem promovent. Hinc eſt quod natura ſagax & provida ſingulis viventibus, quibus perennis ſucci vitalis circuitus, propria adaptavit organa, quibus aërem hauriant; plantis inſectiſve tubulos, τραχειῶν nomine donatos, piſcibus branchias, cæteris animantibus pulmones. Quin & terra quibuſdam meatibus inſtruitur, quorum auxilio advectas aëris particulas excipiat & in ſinu ſuo foveat, ex quo germinationum incrementa maximè pendent. Nec obſtet, quod fœtus in utero non ſpiret, ſi quidem donec uteri ergaſtulis continetur, reſpiratione non egeat, vicemque pulmonis gerat placenta mitis ac blandi, quo alitur ſanguinis officina, quòd & alia ſit ad circuitum organorum ſtructura.

Ergo alterum circuitûs ſanguinis organum, Pulmo.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël de Hodencq.
M. Pontius Maurin.
M. Franciſcus Maillard.
M. Joannes Poiſſon.
M. Jacobus des Prez.
M. Renatus Chauvel.
M. Michaël de la Vigne.
M. Petrus Perreau.
M. Bertinus Dieuxivoye.

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS BURLET Bituricus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1690.